Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39281
Copyright: Kremsmünster, Benediktinerstift



Domine miserere nobis te enim exspectauimus: esto brachium nostrum in mane: et salus nostra in tempore tribulationis. Ad te clamauerunt patres nostri: clamauerunt et non confusi sunt. Et nos egenos et pauperes: deus adiuua nos. Et eripe nos propter nomen tuum domine. Ne obliuiscaris in finem pauperum patientiam. Exurge domine et iudica causam tuam. Memento obprobrii seruorum tuorum quod sustinet populus meus in sinu meo. Quia hec dicit dominus exercituum post gloriam misit me super gentes quae diripuerunt uos. Qui enim tangit uos quasi tangit pupillam oculi eius. Ecce enim ego eleuabo manum meam super eos et erunt praeda seruis suis. Et cognoscetis quia dominus exercituum misit me. Laetamini et exultate filia sion quia ecce ego uenio et habitabo in medio tui dicit dominus. Et adherebunt gentes multae ad dominum in die illa et erunt mihi in populum. Et habitabo in medio tui et cognoscetis quia dominus exercituum misit me ad te. Et possidebit dominus iudam partem suam in terra sanctificata. Et elegit adhuc hierusalem. Ecce ego mittam eos sicut uermes terrae: et comedent et calcabunt lapides fundaminum eorum. Et erit in die illa dicit dominus exercituum. Et erit in die illa dicit dominus exercituum. Et erit in die illa dicit dominus exercitu